

Eletir. Qu.

1698

IMITIÆ ACADEMICÆ
Magno Sacerdoti,
Principi Purpurato,
Eminentissimo sacræ Romanæ
Ecclesiæ CARDINALI
LEOPOLDO
A KOLONICZ,

Archi-Episcopo Strigoniensi,
Primate Regni Hungariæ,
Legato Nato,
Supremo Cancellario,
Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis
CONSILIARIO INTIMO

Ab Academia Claudiopolitana

Oblata dedicata.

Annô 1698. Die 17 Novembris.



CLAUDIOPOLI,

Ex Officina NICOLAI KIS de M. TÓTFALU.

Annô 1698.

FRUCTUS LABORUM

In renovata Sapientiae aede
sangvine quondam irrigati.

Nunc Consilio & Industria

Post unum ferè saeculum
Ad maturitatem deducti

ILLUSTRISSIMIS,

ac REVERENDISSIMIS,

MAGNIFICIS, SPÉCTABILIBUS,
Regni Transylvanicae Proceribus,
Totique Inclyto statui Romano

Catholico

Oblati.

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

ALLOCUTIO Professoris ad
novellos philosophiae studiosos in restauratione Aca-
demiae Claudiopolitanae Annò 1698 die 17 Novembris.



Quantum hæc insolens literatorum pom-
pa lætitiæ animo attulerit; tantum mœroris hau-
sisse pectus desectens in pallorem vultus suo pro-
dit Indicio, Auditores Ornatissimi. Ubi enim pri-
mum Nova hæc, hoc in loco, sapientiæ scena pul-
cherrimum se se oculis spectaculum, animo verò amplissimam gau-
dendi materiam præbuisse; continuè grandia illa Orbis Monar-
charum nomina in mentem incurrere, Optimus Maximus Eccle-
siae Romano Catholicæ Pontifex, summusque Princeps, ac Pater
Sanctissimus GREGORIUS XIII, Inviçtissimus Romanorum Impera-
tor MAXIMILIANUS CÆSAR, Serenissimus Poloniae Rex STEPHA-
NUS, Cellissimus Transylvanicae Princeps Christophorus BATHOREI.
Quorum Immortalia in Academiam Claudiopolitanam beneficia,
tantum referendæ onus gratiæ imponunt, ut antè succumbere,
quàm supponere humeros videar. Quod plurimum dicentis angit
animum, ingratum esse debere! Quo quid sapientiæ cultori turpi-
us? quid dedecorosius esse, aut excogitari posse? Eò enim hæc suã
se erigunt mole, ut non modò angusta Regni hujus spatia capere,
aut minùs exercitatus in literarum studio magnitudinem oratione
assequi, verùm etiam regna & Imperia, quibus amplior hic orbis
redditus est, transcendere, atque quorumvis etiam eloquẽtiã floren-
tissimorum dicendi copiam supergredi videantur; si enim operum
mensura, quæ pretio aut splendore cætera antecellunt, Operanti-
um dignitas, & Majestatis amplitudo est. Quid Claudiopolitana Aca-
demia Sanctius? quid augustius? quid serenius? quid Celsius?
quæ centum supra quinque & decem annos Sanctissimi Pontificis,
Augustissimi Cæsaris, Serenissimi Regis, Celsissimi Principis muni-
ficas ad se attraxit manus, quibus non modò summam ad Regni
hujus commendationem, æquè ac incredibilem Ungaricæ gentis uti-
litem; verùm etiam ad Celebritatem ac gaudium Orbis Christi-
ani, amplissimis dotata redditibus exsurrexit. Felicius hæc pluri-
um

um annorum spatium ad omnem sapientiæ splendorem ingenio-
rum evexit culturam, quàm ut invidium omnis boni tempus aut
vellet ultrà, aut posset sustinere. Quod ut suæ ambitioni, ne dicam
vesaniæ improbum litaret, Illustrissimam hanc à splendore tot illu-
strissimorum virorum Academiam aded obscuràrat, ut æternis se-
pelienda tenebris videretur. Cùm quinque supra nonaginta jam
annos suis in ruinis quantò clarior antè, tantò obscurior delitescer-
et. Et delitesceret me hercle! in perpetuum, nì Clementissima In-
vicissimi Imperatoris LEOPOLDI dextera, Serenissimi Hungariæ
Regis JOSEPHI gratia, in lucem evexisset. Ob quem divinum in Dei Ec-
clesiam favorem. Vivite Magna Orbis Numina! & pro Immortali
hoc beneficio, cum felicitate perpetua Nos mancipia protegente!

Nec Tua Princeps purpurate Eminentissimi Cardinalis à Kolo-
nicz pro Sanctissimi Patris tui GREGORII XIII hæreditate Industria
desiderabatur, qui pro zelo, quo in hoc Regnum flagras, ut sibi A-
cademia Claudiopolitana redderetur, agebas. Nunc Vestra Illu-
strissimi Transylvaniae Proceres, Clarissima Ecclesiæ Romano-Ca-
tholicæ lumina, meam ad se rapit benevolentia dictionem, qui non
modò studium omne, laborem, ac industriam ed convertistis, ut
quà nihil charius, optabilius nihil haberetis, exulem ab hac urbe
Academiam, suos reductam ad penates videretis; verùm etiam ut
continud florentissima Ingeniorum Juventus ad eam accederet, de
ære ac Munificà Vestrà benevolentiâ, difficillimis his temporibus, quæ
pietatem tantò ampliorem reddunt, provididistis. Ed nimirum, ut
quibus hac studiorum felicitate frui concessum non erat, saltèm eor-
um fructum in posterorum animis legeretis. Quis jam hic orati-
one assequatur flagrantissima illa desideria, quibus ad hæc optima-
rum artium studia rapiebamini? cùm mansuetiores plerique ves-
strum literas, Monasteriensi in Gymnasio colerent, quanta hæc fu-
erint? hæc ipsa tempora palamfaciunt. Non me latet viri Illustris-
simi, Clarissimorum vos hodie progenitorum pietatem æmulari,
aut eorum, sanctissimè vobis demandatam & mentem & volunta-
tem exequi, Qui cùm de demolienda florentissima hac Academia
minùs faventium rebus Romano-Catholicorum consilia, nihilque
adversante eorum multitudine se profecturos intelligerent, ut orbi
eorum in sapientiam amor, & Integerrima in fidem Romanam fr-
des exstaret, publicis literarum monumentis ad vos posteros trans-

misc

misere, se non modò in demolitione Academiæ consensum non præ-
buisse, sed & plurimùm reluctatos, ac pro virili sua parte quemlibet
egisse, quò minùs hoc sapientiæ domicilium, non sceleris accusatùm,
non in causam attractum, quid? Confessione regnicolarum, testi-
monio Celsissimi Principis Transylvaniae SIGISMUNDI RAKOCZI nul-
lius convictum criminis in ruinas abiret. Verùm ubi multitudine
ne quidquam valentibus Genitoribus Vestris oppressa, atque in e-
xilium Innocens sapientia missa esset, Eorum imperio vobis deman-
datum, ut omni vi & contentione eniteremini, donec libera in
hanc Urbem exul sapientia induceretur; quorum sanctissimis Opti-
morum Parentum optimi filii præceptis, perquam laudabiliter pa-
ruistis. Liceat mihi vestrà modestià non interpellante, minimè me
alienum ab eorum esse convetudine, qui summis aucti beneficiis,
Suorum in Tabulas Mæcenatum nomina inferre, non modò in de-
liciiis habent; verùm etiam beneficiorum summam sæpe numerò in
eo locatam existimant. Quorum ut pietati indulgeam, Patere Co-
mes Illustrissime, Magni Cæsaris Magne Consiliarie, Regni Tran-
sylvaniae Thesaurarie fidelissime STEPHANE APOR, per impressa Cli-
entum Vestigia ad Te patrociniū Principem, fidei Romano-Catho-
licæ arcem Claudiopolitanam properare Academiam. Non arcebis
crediderim, fida Mæcenatis limina subeuntem. Hic enim illa suam
nacta Patriam, ut non solùm commodè, sed & indulgenter habe-
atur. Hoc enim tua in destitutam subsidiiis vivendi juventutem be-
neficia effecere. O nunquam moriture in sapientum animis Vir il-
lustrissime! qui annuos munificè statuiti proventus, non alium ho-
rum tibi fructum reddi, quàm doctas Patriæ filiorum mentes expe-
tis. Hoc unicum ad summa tua in fidem Romano-Catholicam me-
rita superaddi poterat, ut qui Pietati quaquà-vertsum aras & tem-
pla acerrimus fidei Romanæ propugnator sumptuosissimè erigis,
æternatura sapientiæ quoque domicilia restaurares. Sapienti enim
Tua in Nobilissima familia experientiâ instructus, palàm facis,
quàm bellissimè noveris florentissima veterum virtutum monumè-
ta, quæ non nihil temporum in juriis defloruere, suo & vigori & virori
restituræ. Floruerat Tua nobilissima Domus trecetos abhinc años,
non solùm heroicis conspicua facinoribus, amplisque meritum
præconiis celebrata, verùm etiam Illustrissimorum Comitum hono-
re ac titulo vulgatissima, quam nescio, quæ immemor virtutū tem-
poris

SS

poris ingratitude in honestum Nobilitatem statum constrinxerat, hanc Tu summis auctus meritis, in avitam dignitatem longe Illustrissimam evexit. Æmulatricem Tuam pietati dexteram porrigit Comes Illustrissimus, magna florentissimæ quondam Hungaricæ gentis gloria, Virtutumque gemma LADISLAUS GYULAFI, quem ut ut vetustissima Primorum Hungariæ Ducum profapia, unde nobilissimam non interrupta serie originem ducit, commendabilem facit; invicta tamen animi fortitudo, justitia integerrima, incredibilisque in Deum pietas, ac in fidem Romanam Zelus, longè clarissimum exhibent, quibus amplissimum pectus ita locupletatum possidet, ut quod his superadderet, tantummodò amor est sapietiae; amor in ejus cultores, quod, quantis in Academiam hanc beneficiis contestatù habemus! Tua me pietas Transylvanici Consiliarie Gubernii, Illustrissime Baro STEPHANE HALLER, dictionemque meam ad se rapit. Apud te enim, tuamque nobilissimam familiam, nemo ita ignarus est, qui non sciat Romanæ fidei zelum & amorem domicilium fixisse. Hoc tuo sanctissimo incolæ ea semper egisti, agisque, quæ firmandâ, dilatandâque Dei Domo oportuna viderentur; ex quibus non ultimum sapientiæ propugnaculum Claudiopolitanam Academiam judicasti, cujus non modò extruendæ, sed & stabilindæ causâ munificam operam adhibes. Quid de tuo in literas animo Illustrissime Comes, Regni Transylvanice Vice Cancellarie, Viro clarissime SAMUEL KALNOKI dicam? quod magnis mentibus familiare est, hoc Tibi imprimis literarum amantissimo: fovere literas, & favere literatis. Pergat jam ut lubet ad umbraticam suorum Elysiâ Dux Trojanus Colubarum ductu; Mihi auspiciam & omen est Gentilitia Aquila tua, quæ minime Musis inimica, ut ut infestâ doctæ quieti volucres arcebit, non arcebit aditu bonas artes, non philosophiam Claudiopolitanam Tuam sub patrocinium propterantem. Literarum amantissimis Tu quoque te adjuuge omni literarum genere excoltissime, firma fidei Romanæ columna, honoris Dei zelosissime, Transylvanicæ Moderator Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Ut interim sapientissimorum Regni hujus Virovum testimonia tuis consona virtutibus in verbo attingam, neque habeam necesse convenire oracula urbis hujus, & Transylvanici orbis Procerum, quorum animis & judiciis altius infediti, quam ut à me conspici possit, quamquam Tu in eo potissimum elaboras,

ut

ut egregiè factis, & immensis meritis Numinis honorem, nihili tuum faciens extendas; qui tamè vel te plurimum reluctate, ab eximiiis tuis operibus amplificatus eò pervenit, quò extraneis minimùm præconis debeatur. Irem per singula tuorum operum, nisi me moderatio, modestiæque tua vetaret. Inferrem me in sapientiæ tuæ curiam, proferrem tua vir experientissime consilia, sapientissimo meditata provisus, svadendi vim, conjectandi solertiam, futura tangentem, præsentibus intentam. Moverem denique rationum pondera suis trutinata momentis, quid vel in præsens bono Religionis Romanæ statuendum salubriter, vel imposterum providenter caveretur: ne tamen tuo nihil rubori indulgere videar, singularia tua merita silentio involvo: studium, quo in literarum studia, maxime in philosophiam hoc in loco raperis, nec filere possum, nec debeo. Nihil enim tibi antiquius erat, quam ut Academiam Claudiopolitanam, suis è tenebris in hanc urbis lucem evocares. Ut enim nihil sapientiæ dignius, ita laudabilis nihil, quam huic ancillari judicasti. Nec tua me fugiunt Comes Illustrissime LAURENTI PEKRI beneficia, quæ licet & frequentia & Summa in hoc Claudiopolitanum Juventutis seminarium fuere, non cessas tamen ea ampliora reddere, eorum quasi immemor, quæ liberaliter dederis. Maximorum æmularis magnanimitate virtutem, qui solum quod dandum esset, non quod dederint, pensant. Jam tua Comes Illustrissime MICHAEL MIKES in hanc, pro qua verba facio philosophiam benevolentia solito longiorem in dicendo facit. Qui enim ingratus tua præteream merita? vel ex hoc sapientum laudibus dignus celebrari, quod præclare doctam mansuetiori literaturâ mentem possideas; cujus incomparabili bono locupletior, nunquam tua minui, sed augeri profusa in literas liberalitate judices. Quid vobis Magni Parentis Magni filii, Illustrissimi Comites STEPHANE & LADISLAE CSAKI grati referam? quorum in Nos, studique Nostra, cum animos, tum liberales manus tenemus. Vivite Paternarum æmulatores virtutum, duplici condecorandi Laureæ: sapientiæ altera, heroicæ alterâ fortitudinis. Liceat Vestra quoque viri magnifici magna facta recensere, beneficiis summis cœquandi. Nisi fortè temerarius videri possim, si tot Baronum Lumina in obscuras dictionis angustias cogi velim? STEPHANUM loquor ANDRASI, loquor & GEORGIVM HALLER. Illum constantia æ-

sss

nimi

nimi eodem utramque fortunam sinu excipientis; hunc hæreditariã vetustissimã Domũ Hallerianã pietate longè clarissimos. Quibus Illustribus à compari virtute æmulis, bina Romanã Religionis fidei SIGISMUNDE & STEPHANE CORNIS accedite. Lucete, hoc Academiae Claudiopolitanæ votum est, in perfectam paternarum virtutum diem! Nec Tua te mihi nubes modestiã eripiet Magne Baro MICHAEL SZAVA, qui enim Latere me possit totam incurrens in palpebram singularis Tua Pietas in Albanens Dei servos, non ætate, sed affectus magnitudine senescenti hoc sæculo Cœva. Jam Te persequor Nobilem sequacis gloriæ fugitivum Baro GABRIEL JOSIKA, felicioribus, quæ dudum tibi merita compararunt, dignior sequaces, licet maximè volueris honorum titulos, tuis consonos virtutibus, non effugies. Unum summa ad vestra merita Illustrissimi Viri accedat: Beneficiorum vestrorum in Academiam Claudiopolitanam anathemata, hoc est immortalia pietatis in sapientiæ domicilium monumenta, marmoris insculpam: ut piæ æmulatrix paternarum virtutum posteritas in ea se sede commorari gratuletur, quam genitorum è ruinis dextera erexit, munificentia stabilivit. Sed necdum finis, alium mihi ex alio sæcunda Illustrium Virorum Transylvania statuit. Non habeo tamen necesse Nobiliorem virtutis & pietatis Imaginem extra te quærere Perillustris STEPHANE TOROCZKAI. Cui heroa fortitudo Capitaneatum *Arany Székensem*, animi verò eximia virtus maximorum gratias & affectus contulit. Tua ne jam injuriosa dissimulatione præteream decora, vetustissimæ Nobilis hæres familiæ LADISLAE MIKOLA? si quid Illustrium antiquitas familiarum, si quid decurrens per omnes dignitatum gradus amicorum Virtus, si quid Regum ac Imperatorum favor gloriæ addit, quanta Te unum summa nominis manet? stat enim Tua septingentos duos supra quadraginta annos Nobilissima domus, quæ non modò Politico Statui viros à sapientia & literarum peritiã celebres, qui summis defuncti muneribus, verum etiam qui Præfulum, Abbatum, ac Episcoporum dignitate fulgent, copiosè subministravit: quid? supremo Vajvodæ muneris quam aptissimum caput substituit. Quot jam Religiosorum Cœnobia ab Illustribus familiæ Tuæ viris splendorem, Ecclesia verò Romano-Catholica in hoc Transylvaniæ regno stabilimentum, cujus accerrimi propugnatores semper extitère, acceperunt? Silebo Regum

ac

ac Imperatorum favores, Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI gratiam Celare non possum, quã cognitis tuis, tuorumque meritis ditionem juraque confirmare, roborare, ac illustrare Clementissimè dignatus est. Quid de tuis singularibus dicam prærogativis? in uno concludam omnia: Oculis Captum eum esse oportere, qui in te omnibus absolutam lineis peritioris Imaginem ingenii non videat. Quid jam annorum & meritorum Vir plenissime FRANCISCÆ BIALIS ex tot, & tantis eximiis tuis virtutibus referam? Ne longior in dicendo sim, cætera filebo, pietatem tuam in egenos proloquar. Quis enim est? ex omni omnino calamitosorum cœtu, qui non apud te ædem opis extra veterum commenta inveniat? non modò conscius non est ullus repulse; tanta enim tuarum facilitas est admissionum; verum etiam vota rogantium præcurrere, quid? ultrò occurrere anticipatis egentium querimoniis conveffisti, quæ misericordiæ tuæ summa est, dantis hilaritatem cum celeritate largientis comittis. Si jam decus æquali meritorum partitione impenditur, quid non laudis Vestra FRANCISCÆ BENEDICTE & MICHAEL HENTERII eruditio? quid æqui rectique amor? quid ille constans fidei Romanæ cultus sibi vendicant? sed Tu mihi in oculis, tu mihi in animo es Magne Dei aræ cultor SIGISMUNDE FELVINCZI; non habeo necesse ut erecta illa Sumptuosissimè Numinis honori altaria, quæ duos abhinc annos vulcani furor *Ováriensis* sacra in æde in cineres redegit ex cineribus in tuas laudes evocem. Marianarum Domicilium Virtutum, quod ad invisum huic Regno nitorem Nostra in Claudiopolitana Domo evexisti, tua posteris præconia faciundius me oratore celebrabit. Nec tu sine honore dives meritorum CLEMENS BELDT abibis: Hoc enim tuo debetur zelo, tuo in susceptam fidem Romanam amori, quod plurimos adversitatum impetus, ob hanc tibi impactos, ut marpesia cautes immotus sustineas. Tua jam FRANCISCÆ LAZAR florente maturior ætate virtutum fegēs in oculis incurrit; quas ut ampliores redderes, piã liberalitate tuarum decimas frugum in Claudiopolitanam juventutem impendis. Verus Divorum Hungariæ Cultor! NICOLAE TORMA tuorum gloria genitorum; quorum semitam virtutum inoffenso decarris pede. Nec tu DAVID PETKI ab egregiè factorum culmine procul abes. Insisse tueri parta magne hæres familiæ. LUGOSIORUM STEPHANI & FRAN-

§§§§

C15C1

Magnifice Bæner ereptus est in Cælo Amen

cisti in Dei servos, fidei Romanæ Presbiteros singularis reverentia, in eorum me præconia excitat. Quis jam neget in eorum Dominum pietatem? qui & servorum observantes sunt. quid enim aliud erecta illa circum ditionem vestram Christi patientis trophæa Crucis? quam morientis in cruce Jesu impressam mentibus memoriam, insculptum cordibus affectum indicant. Nectuum GABRIEL NAGY-SZEGI heroum pectus inhonoratum est. Te tua fidelitas aureum Equitem, cum Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI gratiâ aureum in meritum collum torquem acciperes, effecit. Coronidem Clarissimorum fidei Romanæ Virorum Imponeretis FRANCISCE BALOG, JOHANNES KASZONI, quos avita pietas incitata ad æmulandum Maximorum merita, Virtus ad egregia facta deduxit, nisi & plurimi alii à pietate & zelo in fidem Romanam Clarissimi superessent. Quorum cum hac brevitate temporis summa Celebrare Beneficia non valeâ, fusiora ab hac Sapientia Domo Virtutum expectent elogia.

Nunc vobis Sanctissimi GREGORII XIII Summi Pontificis Manes, Augustissimi MAXIMILIANI Cæsaris cineres, Serenissimi Regis Poloniae STEPHANI, & Celsissimi Principis Transylvaniae CHRISTOPHORI BATORUM pulveres, pro immortalis in nos beneficio, quo Academia Claudiopolitanam erexitis, immortales refero gratias. Quiescite vestris in umbris fulgentissima quondam orbis lumina; vel potius amplissima meritorum vestrorum luce Beatissimi fulgete. Te verò Cæsarem Maxime LEOPOLDE, Te Orbis Christiani delictum Rex JOSEPHE, gloriae ac Nominis Immortalitati Academia Claudiopolitana consecrat, doctis aliquando voluminibus immensa vestra

in se beneficia orbi universo decantatura. Tuâ quoque Eminentissime Cardinalis à KOLONITZ ac Tuâ Illustrissime Status Ecclesiae Romano-Catholicae,

Benevolentiae memor perennabit.

Vivite & nobis favete.

*Domine Deus
Perfectus Annullis*

DIXI

Genealogia Caudat

*Sigillus munita non est, ergo nec approbata
Gelli. Visconti*

Imprimatur ut supra Bergamasii